

LUDOVICI SCHOPENI
SPECIMEN EMENDATIONIS

IN AEL. DONATI COMMENTARIOS TERENTIANOS
AD NOVAM TOTIUS OPERIS EDITIONEM
INDICENDAM PROPOSITUM.

Nihil ad populum facit actorem velut ex tragœdia loqui, quod vitium Plauti frequentissimum est.)* Quis est, qui divinare possit, quem dicat morem comoedorum *velut ex tragœdia* loquendi? Ne te morer, locus corruptus est,

*) Quod dudum monui, Donati Commentariis ubique immixtas esse enarrationes aliorum, id insigni exemplo probare possunt, quae in ipso operis initio de comoedia traduntur. Haec enim omnia usque ad verba *Comoedia est fabula*, non eius scriptoris sunt, cuius feruntur in libris, sed Euanthii Grammatici, qui eadem fere, qua Donatus, aetate vixit et Constantinopoli litteras docuit. Atque hoc ita esse, ut dixi, Lindenbrogius probabiliter ostendit ex Rufino Antiochensi, qui in libr. de metris Terentianis, quaedam ex his ipsis prolegomenis citans, eorum auctorem diserte Euanthium facit. Donati certe ea non esse, vel sola latinitas scribendique ratio docere poterat. Vulgo libellus, unde quinque locos priores hic emendandos elegi, inscribitur *De Comoedia et Tragoedia*; vera inscriptio *De Fabula* est, ut ex eodem Rufino p. 2705. patet. A. B. Wolffius de Canticis p. 16. In libris veteribus nullus omnino titulus comparret. Cum autem veteres dico editiones, intelligo quatuor potissimum, quarum praestantissima prodiit ex officina Vindelini Spirensis,

quem ego, certissimam, ut opinor, conjecturam secutus, sic restitui: *velut extra comoediam.* Nimirum solet, ut constat, Plautus, quem iste reprehendendum hoc nomine putat, actores nonnunquam ea ad populum loquentes facere, quae nihil plane ad id, quod agitur, pertinere, sed ut ille ait, *velut extra comoediam dicta esse videantur.* Erroris origo in promptu est. *Extra enim cum temere esset ab imperitis dissectum, vicinum vocabulum, quod etiam compendio scribi solebat, in corruptelae societatem traxit.*

Quin etiam solus ausus est Terentius, cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere, quibus tamen, cur bonae sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Postrema haec verba et sensus et constructionis difficultatem habent. Utrique incommodo ego mihi videor mederi posse, sic lenissime corrigendo: quibus tamen, cum bonae sint, et voluptas per ipsum et causa non defit. Res aperta est, ut opinor.

Illud vero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse, ut togatas, a scenicis atque argumentis latinis, praetextatas, ab dignitate perso-

anno, ut putant, MCCCCLXXII. Alteram sine anni et loci nota, quam Ebertus in Lex. Bibliogr. T. I. p. 496., tanquam omnium vetustissimam, primo loco posuit, Vindelini editione iuniorem esse et totam ex ea fluxisse, tum probabo, cum de omni genere subsidiorum, quibus in Donato emendando usus sum, proprie exponam. Reliquae duae, quas usurpavi, editae sunt Tarvisii a. MCCCCLXXVII. et Venetiis apud Lazarum Soardum a. MCCCCXCVII., quarum utraque fabulis Terentii Donatum comitem dedit.

narum et latina historia, Atellanas, a civitate Campaniae, ubi actitatae sunt plurimae, Rhinthonicas, ab actoris nomine. Chr. Reuvens. Collect. Litt. p. 47. legendum suspicatur *a scenicis togis atque arg. lat.*, quem ego non sequar. Nam ea mutatione, magnopere vereor, ne, quae sana et integra sunt, corrupta fiant. Quid igitur? *Scenicos latinos* cum dicit, histriones, ni fallor, describit, qui Romanorum habitu, id est, togati, in scenam prodibant. Quod quam recte et Latinorum consuetudini loquendi convenienter dixerit, nescio; hoc scio, tali omnino dicendi genere hunc libellum scriptum esse, vix ut ullum in eo priscae elegantiae studium agnoscas. Paullo inferius post *personarum* libri vett. vocem *tragicarum*, vulgo omis-*sam*, recte addunt. A. G. Langius Vindic. Trag. Rom. p. 52. Quod autem in extremo Rhinthonem, quem omnes poetam fuisse tradunt, *actorem* vocat: vulgaris scriptura maculam traxit, quam iure mireris ne paullulum quidem suboluisse Gisb. Cupero Obss. I. 10. p. 73. Scripsit *ab auctoris nomine*, ut iam pridem in tanta aberrandi facilitate reponendum monuerant G. I. Vossius Instit. Poet. II. 1. p. 105. et I. Toupius Emend. Suid. II. p. 136. Ox.

Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt ad cunctas res, etiam tum recentius idem poeta et actor fabularum suarum fuisse. Sic libri veteres, sensu nullo. Itaque Muretus, cum in aliis exemplis scriptum reperisset cum etiam tum recentius idem et poeta etc., legendum coniicit hoc modo: *Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt; cum, etiam tum ad cuncta recentibus, idem et poeta et actor fabularum suarum fuisse, ut hoc significetur, ideo eundem et poetam et actorem fuisse, quod Romani etiam tum ad eiusmodi omnia rudes essent.* In quo

primum id mirum est, quod *recentibus* illud, quo corruptelam sibi sanasse videtur, plane non habet, quo iuste referatur. Nam ad Romanos referri posse, cum nulla eorum hic mentio fiat, nemini credo Muretum persuasum esse. Quin etiam *cuncta*, sic nude positum, de omnibus omnino rebus, non de scenicis tantum, quemadmodum Muretus voluit, intelligi debet. Quare cum alia laboranti huic loco medicina adhibenda sit, afferam ipse, si quid certius possum. Suspicor enim legi oportere: *Latinæ fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt, adeo cuncta re etiam tum recenti, ut idem et poeta et actor fabularum suarum fuisse*. Eam mutationem, quae scriptoris menti plane respondet, ductam esse ex ipsis veteris scripturae vestigiis, facile intelligit, qui aliquam eo in genere exercitationem habet. Singula persecui non libet; tantum admonebo, ne quid vitiosi residere existimes, structuram verbi *fuisse*, pro *essem* positi, non inusitatam esse scriptoribus huius aetatis, ut exemplis docet Salmasius ad Tertull. de Pallio p. 120. *Etiam tum autem est tum adhuc, ut vulgo loquuntur.* Sueton. de Illust. Gr. init. *Grammatica Romae ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate.* Fr. A. Wolfius ad Tacit. Annal. I. 3.

Protasis primus est actus initiumque dramatis, epatis incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Haec cum primum legerem, *motus erroris* mendum putabam operarum. Sed idem miro consensu editi omnes, nisi quod vetustissimi *modus erroris* habent. Unius litterae mutatione sensus veritatem restitui, scribendo *nodus erroris*. Quam emendationem egregie nuper comprobata inveni Collectaneis Reg. exemplaris,

unde in altero libello de comoedia haec omnia a Lindenbrogio pro vetere librisque firmata scriptura temere supposita sunt.

Personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius et Faliscus, tragoediam Minutius et Prothonius. *) Lindenbrogii ms. non *Prothonius* habet, sed *Prothimus*, eamque lectionem firmat Adelphorum Didascalia: *Egere L. Attilius Praenestinus, Minutius Prothimus.* Inscriptio vetus Gruteri p. DCCCCXXXI. *Prothumum* habet, et lapis apud Murator. p. MDCCXXXII. *Prothymum*. Nomen *Prothonii* nusquam inveni. *Prothimus* autem vel, quod libertius scriberem, *Prothymus* graecae originis est, qualia saepissime libertinis utriusque sexus apud Romanos cognomina erant. Manut. ad Cic. Epist. Fam. VII. 24. et Bentleius ad Horat. Serm. I. 3. 40. Idem nomen ex libris meis vetustis restituo Donato in Praefat. Eunuchi, ubi hodie *Posthumio* legitur. Sed quod nostro loco *Minutius* et *Proth.* non unius hominis, ut in Didascalia, sed duorum

*) Hic et qui sequuntur loci desunti sunt ex commentariolo Donati de comoedia, cuius initium in libris veteribus arcte cum extremo Euanthio cohaeret, nullo interiecto titulo. Ms. Lindenbrogii indicem tantum *De Comoedia* habent, scriptoris nomen non addunt. Neque tamen dubitandum videtur, quin recte Donato librum vindicaverim. Nam, ne dicam, in dictionis genere vix quidquam inveniri, quod ab huius scriptoris elegantia dissidere videatur: ipse etiam Donatus in Praef. Adelph. testatur se commentario nonnulla de comoedia praeposuisse. *Protasis est turbulentia, inquit, epitasis clamosa, catastrophe lenis; quarum rationem diligentius in principio proposuimus, cum de comoedia quaedam diceremus.* Atque haec eadem, quod percommode cecidit, etiamnum libellus continet, cetera adeo mutilus et lacunosus, ut, quae hodie eius supersunt, fragmentorum nomine inscribenda videantur.

sunt nomina, pariterque *Cincius*, quod magis etiam mirere, diversus a *Falisco* ponitur, eum et ipsum librarium potius errorem, quam eruditii Grammatici, Wolffius de Canticis p. 23. credit mihiique plane persuasit, utrobiique particulam et eiici oportere.

Omnium autem comoediarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur, nomine, loco, facto, eventu; nomine, ut Phormio, Hecyra, Curculio, Epidicus; loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina; facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi; eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. His paucis in verbis, vix credibile est, quam multa scribarum errore depravate legantur. Primum illud *comoediarum scripta*, quid quaeso est? Nempe truncavit posterius hoc similitudo litterae praecedentis. Lege *inscripta*, quod cadentis sane latinitatis vocabulum reperitur etiam apud Gellium in Praefat. N. A. Sed graviori medicina egent, quae sequuntur: *nomine*, ut *Phormio*, *Hecyra*, *Curculio*, *Epidicus*. Inscribi ait quasdam fabulas a nomine, eorum scilicet, qui praecipuas in iis partes tenent. Cuius rei exempla ut recte et Phormio et Curculio et Epidicus ponuntur: ita Hecyrae nomen, quod additum legitur, non dubito, quin temere ab aliquo impremito inculcatum sit. Ipse enim ad Hec. docet, quod vel nomen declarat, hanc ideo vocari, quia per socrus et soceros in ea multa agantur. Neque leve huius fraudis indicium putari debet, quod hoc uno loco quatuor, non tria, ut in reliquis, fabularum nomina commemorantur. Ex eodem genere vitiorum illud est, quod aliquanto post vulgo ita legitur: *eventu*, *Commorientes*, *Adelphi*, *Heautontimorumenos*. In libris veteribus, quos mihi quidem usurpare licuit, pro *Adelphi* constanter *Crimen* inveni,

eamque scripturam veram esse arbitror. Respicit autem, ni fallor, Afranii hoc nomine togatam, cuius memoriam servavit Nonius. Altera inscriptio supposita est in locum genuinae, quippe in vulgus ignotae. Sed locus etiam alio, quanquam leviori et sola conjectura facile eximendo, vicio laborat. Suspicor enim post vocem *eventu* excidisse part. *ut* eadem de causa, quam modo significavi. Ceterum praeteriens moneo, Brundusinam quam vocat, esse eiusdem Afranii, ut ex Festo v. *Sagaces* patet. Eandemne dicant Charisius I. p. 80. et Priscianus X. p. 879., viderint alii. Leucadia autem Turpilii Comici fabula est, a Nonio saepius laudata. Plura habet Davisius ad Cic. Tusc. Disp. IV. 34., qui locus fraudi fuit lexicographo eximio, Aeg. Forcellino s. v. *Leucadius*.

Comoediarum formae sunt tres, Palliatae, graecum habitum referentes, quas nonnulli tabernarias vocant, Togatae, iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes. Ex libris veteribus scripsi referentes, cum vulgo esset ferentes. Reuvensio Collect. Litt. p. 47. verba quas nonnulli tab. vocant, cum palliatis nemo unquam tabernarias dixerit, sedem mutasse suspicanti, probabili conjectura scribendum videtur: Togatae, iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes, quas nonnulli tabernarias vocant. Verum haec omnia cum eiusdem esse non possint, qui paullo ante multa, non tria tantum comoediarum genera esse dixit: noli dubitare, quin alterutro loco alienae manus lacinia sit. Ultra progredi, ut nunc sunt ista fragmenta, hariolantis est.

In scena duae aera poni solebant, dextra Liberi, sinistra eius dei, cui ludi fiebant: unde Terentius in Andria

*ait: Ex ara hac sume verbenas. Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit, quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire: seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Huius enim virtutis erat animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacae incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personae diademata habent, quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint. Deesse nonnulla post verbenas, perspicuum est. Sed egregie fallor, aut omnino ea, quae de tragico narrantur habitu, aliunde huc irrepsero. Nec tamen probaverim Oct. Ferrarium de Re Vest. II. 4. 1., qui quas sibi ineptias merito hic comprehendisse videtur, interpolatoris indicium habet. Quisquis enim haec scripsit, profecto non *pallium*, sed, quod iam ex ipsa, quam addidit, rei explicatione patet, *pileum* Ulyssi eiusque popularibus tribuit. Ulyssem certe tantum non semper *pileatum* fuisse, ex imaginibus scriptoribusque notares est. I. Meursius Misc. Lac. II. 17. Raynaud. de Pileo VIII. p. 1263. Thes. Graev. Winckelmann. Hist. Art. X. 1. §. 26. Addam insignem Varrois locum ex Nonio p. 344., a me, ut opinor, integratati restitutum. Diogenem postea *pallium* solum habuisse et habere Ulyssem meram tunicam, *pileum* ideo habere. Negationem, quae vulgo post ideo ponitur, eieci; idque iis, qui totum locum attente perpendiculariter, facile probatumiri puto. Nam Ulysses, ut Varro videtur, ideo *pileum* habet, quia mera indutus est tunica, non *pallio*, quo ipsum caput Diogenem obtexisse constat.*
